



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Sacra Veterum Temporum Uti Et Evangelica, Ac
Apostolica Historia**

Steinhart, Franz

Ingolstadii, 1734

VD18 90104692

De Secta Herodianorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62332)

observârunt, eorûmque doctrina præcipuè in componenda exteriori pietatis specie versabatur. Hos populus magnificiebat & sectabatur.

De Secta Scribarum.

Scribæ sive Legis periti & Doctores, quorum multi erant Pharisei, superfluam & sophisticam interpretationem legis inducentes secundum eam vivebant, & veluti ad sinceritatem ac sanctitatem dispositi crebrò manus lavabant, crebròque purificationes quasdam per lavacra adhibebant. Hi quoque erant, qui dum facerent eleemosynam, canebant tubâ ante se specie quidem, ne quis egenus beneficiò excuderetur, reverâ autem, ut multos haberent beneficentiæ suæ spectatores.

De Secta Herodianorum.

Herodiani putabant Herodem esse Messiam, in scripturis & à Prophetis prænuntiatum, decepti ex illo loco: non deficiet Princeps ex Juda neque Dux de femoribus ipsius, donec veniat, qui mittendus est. hinc colligebant hunc missum esse Herodem, quòd non esset Judæus natus sed alienigena.

Harum quatuor Sectarum Discipuli Christo Evangelium prædicanti præcipuè se opposuerunt, ipsûmque tentandi causa variis hinc inde interrogationibus fatigârunt. quos autem Ipse quoque acriter infectatus est, & hypocrisin aut falsam doctrinam eorum detexit. sic *Matt. 22. v. 23.* Accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem. *Matt. 16. v. 6.* Cavete à fermento Phariseorum & Sadducæorum. *Matt. 23 à v. 2.* Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei, id est, tenent locum Moysi & jus, habentque auctoritatem docendi, explicandi legem: dicunt, & non faciunt: omnia sua opera faciunt, ut videantur ab hominibus. *Luca 20. v. 46.* Attendite à Scribis, qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro, & primas Cathedras in Synagogis, & primos discubitus in conviviiis. *Marci 8. v. 15.* Cavete à fermento Herodis, ab absurda scilicet secta Herodianorum Herodem pro vero Messia obtruden-

dentium, Romanis in pensatione tributi blandientium, & nil nisi terrena ambientium. *Marci 12. v. 23.* Mittunt ad eos quosdam ex Phariseis & Herodianis, ut eum caperent in verbo dicentes: Licet tributa dare Cæsari, an non?

De Synagogis Judæorum.

PRÆter Templum Jerosolymitanum præcipuum orationis & legis explicandæ locum habebant Judæi ædes sive Synagogas, in quibus ad orationem publicam, ad divinæ legis explanationem, & sacram concionem, maximè in Sabbathis conveniebatur. Origo earum non videtur esse vetusta; neque enim in Historia Judicium aut Regum ulla Synagogarum memoria celebratur. fortassis in Babylonico exilio primùm construi cœperunt, ut Judæi, cum Templo carerent, in quo aut orarent, aut docerent, locum aliquem similem Templo haberent, in quem ejusmodi officii gratiâ convenirent; usum verò Synagogarum semel institutum, cum è captivitate rediissent, retinuerunt, non tantùm extra Judæam in Provinciis, in quibus Judæi dispersi versabantur, sed etiam in ipsis Judææ civitatibus, è quibus Jerosolymam adire non erat commodum. Tempore Christi Domini complures Synagogas fuisse in Judæa & Galilæa, discimus ex *Matt. 4. v. 23.* Circuibat IESUS totam Galilæam docens in Synagogis eorum. *Luc. 13. v. 10.* Erat IESUS docens in Synagogis Judæorum Sabbathis, *Joan. 18. v. 20.* Ego semper docui in Synagoga & in Templo, quò omnes Judæi conveniunt. Fuisse jam antea Synagogas, ac etiam extra Judæam, Acta Apostolorum habent *c. 15.* Moyses à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur *c. 9.* Paulus petiit à Pontifice epistolas in Damascum ad Synagogas. *c. 13.* Paulus & Barnabas cum venissent Salaminem, prædicabant Verbum DEI in Synagogis Judæorum. *c. 17.* venerunt Thessalonicam, ubi erat Synagoga Judæorum. *c. 18.* Paulus disputavit Corinthi in Synagoga per omne Sabbathum. *c. 19.* Ephesi ingressus Synagogam cum fiducia locutus est per tres menses disputans.